

unionis gradus à se invicem discernantur, quam communicationis propriorum. 2. Quia vera & immota est veterum Regula: *qualis unio, talis est & communicatio.* 3. Quia ipsa Philosophia sana illam asserit, 2. de part. Animal. c. 2. & 3. Ubi non de prædicatione extrinsecâ ratione subiecti, ut quidem vult pars adversa; sed manifestè de communicatione propriorum, quæ fit propter consociationem alicuius primarii efficientis agitur.

5. Deinde ita argumentamur: Quæcunq; κτ̄ σωδύασιν uniuntur, & quidem ita, ut alterum habeat rationem ἐντελεχείας; alterum verò δυνάμεως, illorum idiomatum vera & realis datur communicatio: At λόγος & humana natura ita κτ̄ σωδύασιν uniuntur, ut λόγος sit ἐντελεχείας & perficientis, caro verò sive humana natura obtineat rationem δυνάμεως, perficiendæ & evahendæ: Ergo illorum vera & realis datur communicatio. Et per consequens, quemadmodum forma sive ἐντελέχεια nullam extra se ἐνέργειαν edit & exercet sine subiecto, cuius est ἐντελέχεια: ita etiam divina CHRISTI natura omnia in omnibus operatur in suâ carne, cum suâ carne, & per suam carnem.

6. Tertiò ita progredimur: Quæcunq; naturæ constituunt unum reale incommunicabile; illæ inter se sunt communicabiles: atqui humana & divina natura in personâ Christi constituunt unum reale incommunicabile: Ergo divina & humana natura in Personâ τῷ λόγῳ constituunt unum incommunicabile, nempe θεανθρώπον.

7. Maior stat immoto illo Metaphysices principio: *Ex duobus incommunicabilibus unum reale incommunicabile constitui nequit.* Minor probatur: Omnis Persona est unum reale incommunicabile, ut patet ex definitio-